



ALBERTI PHILIPPI FRICKII

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

H. T. PRO-RECTORIS

DISQVISITIO

DE

IVREIVRANDO

PER

GENIVM PRINCIPIS



HELMSTADI SAXONVM

LITTERIS SCHNORRIANIS

MDCCLXVIII.



§. I

Naturas quasdam Deum inter hominesque interme-
dias caeteris animis eo esse nobiliores, quo pro-
cul absunt a corporis commercio, consensu
quodam, ab omni aevo, creditum est traditum-
que. Hisce quidem naturis angelorum nomen imposuit
ipsa muneris ratio, quod non semel sustinuisse visi sunt.
Perferendis namque mandatis diuinis, iam inde a rerum
primordio, satis liquidam sui testatamque dederunt noti-
tiam, quae, etiamsi harum mentium aetherearum origo
fileatur ac creatio, ex ipsis tamen earundem factis ope-
ribusque hausta, et diuinis monumentis ad omnem aeter-
nitatem prodita est et conseruata. Quin ad profanas
quoque et barbaras gentes de mentibus hisce aethereis,
summo Deo minoribus, opinionem quandam peruasisse,
neminem paulo humaniorem latere potest. Hancce
ipsam quidem opinionem, multa fabularum licentia,
corruptam, ac, quod riuis a fonte recedentibus accide-
re solet, affluentibus mendaciorum sordibus, inquinata
tam esse, quis neget? At ne sic quidem plane nullum
operae erit pretium, erumpentem e falsarum opinionum
nube veritatis lucem adspexisse, aut ex luto scorisque
promicantia iamenta auri diligenter secreuisse. Picturae

A 2

iane

sane non colorum magis splendore, quam umbrae opaco
 illustrantur, et ipsa veri lux, tenebrarum obiectu, quasi
 repercussis radiis inclarescit magis, faciliusque sentiri pot-
 est ac percipi. Laudem proinde, meo quidem iudicio,
 merentur, qui dogmata veterum de *geniis* illustrarunt,
 et, quantum inde superstitione doctrinam de angelorum
 natura et officiis corruperit, ostenderunt, atque hac ra-
 tione, etiam quum aliud agi videretur, ad pietatis aequae
 ac religionis studium gnauis obseruatoris industriam refe-
 rendam esse, ostenderunt. Ergo, fas esse, et egomet du-
 xi, nec a statu huius diei, qua aedes sacrae vbique iam
 personant doctrina de angelis, circa quam intellectus hu-
 manus sequuturus vnice suum iudicium non secus se ha-
 bet, quam oculi vespertilionum ad solis lucem, solemni-
 tate alienum, si vestigiis viri de alma nostra literarum
 vniuersitate quondam praeclare meriti, puta ERHARDI
 REVSCHII a), insistens quaedam doctrinam de *geniis*
 illustrantia proponam. Quamuis enim, prout LAVREN-
 TIVS de MOSHEIM b) monuit, ea, quae de *geniis* ac
daemonibus suis philosophi veteres, et de angelis sacri li-
 bri tradunt, inter se recte conferenti facile appareat,
 haud exiguam inter vtrosque differentiam intercedere: ne-
 gari tamen haud potest, siquidem sepositis de origine et
 natura *geniorum* crassissimis erroribus et figmentis, quae
 etiam reliquas eorum functiones, praeter mortalium
 custodiam, deformarunt c), tantam illorum cum angelis
 d), quos

a) Edidit prolusionem *de Iurciurando per Genium Principis*, A. C. clolcccxxxv.

b) In notis ad RAD. CVDVVORTHI *System. intell. Cap. V. Sect. 3. §. 32.*

c) Vid. IOH. NIC. PROBESII *Mysterium de Daemon. siue Geniis atque intelligentiis philosophicum* Helmst. MDCCXVII. et IOH. GEORG. PERTSCHII *Philosophumena doctorum*

d), quos sacra volumina describunt, similitudinem se offerre, ut merito cum LIPSI O e) PLATONIS doctrinam recensente quaeramus, *quis homini haec suggessit sacrorum nostrorum arcanis sic alludentia aut vicina?* Accipite igitur, ciues academici, quae de iureiurando per *genium principis* in medium prolaturus ero.

§. II

Hominum *genios* non vnus, sed diuersi generis, eosdemque proia vel generales esse vel speciales, profanae gentes sibi olim persuaderunt. Ad illos retulisse, putauerim, non illum modo *genium*, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum, sed etiam istum, qui cuius regno, prouinciis, vrbibus, pagis, viis, fontibus, horreis, stabulis tanquam gubernator, praefes atque custos tutelaris adscriptus esset. Ne, temere id dixisse, videar, inuoco auctoritatem PRUDENTII f), qui omne hac in re romanorum studium hifce complexus est,

— — *Cur Genium Romae mibi fingitis vnum?*

Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis

Adsignare suos genios? perque omnia membra

A 3

Urbis,

Ecclesiae de Geniis et Angelis, praecipue tutelariibus Helmst. clo 10 CCXLVIII.

d) Quare EVERH. OTTO in lib. sing. *de tutela viarum publicarum* P. I. C. XI. p. 216. asserere nullus dubitavit, quod, quum Hebraei docerent, omnia Angelorum ministerio geri, atque hos comitari iter facientes, ex hac doctrina desumptum et deprauatum sit, quicquid gentiles de geniis viarum, et diis deabusque praesidibus prouinciarum somniarunt

e) In *Physiol. Stoicorum* L. I. diff. 19.

f) *Lib. II. contra Symmach*, vs. 444.

*Urbis, perque locos, geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?*

Speciali autem *genio* quemlibet mortalium gaudere, creditum est et vel eo tempore, quo olim vniuersum paene terrarum orbem paganismi oppresissent tenebrae. Quum enim gentiles ipsis vitae humanae euentibus aequae ac experientia edocti scirent, praesentissimis periculis homines saepius, auxilio quodam vti sensus fugiente, ita etiam hominis captum superante, liberatos fuisse: cuiuslibet hominum *genium* datum, adfirmabant, eundemque et vel ea propter ita nominatum esse, siue quod, vt lucem adspiceremus, curaret, siue etiam quod nobiscum ederetur, siue quod tandem nos genitos susciperet ac tueretur g). Hos ipsos vero *genios*, ipsorum ex doctrina, comites ac tutores hominum esse statim a cuiusuis natiuitate, docet nos et vel MENANDER comicus, apud quem hi senarii leguntur,

*Adest autem viro cuiuslibet daemon bonus,
Vt primum quisque nascitur, vitae arcanus ductor.*

Nec est, qui mireris, quod tales *genios* nuncupauerint deos adhaerentes h), siue Θεός παρέδρος i), si modo cogitaueris, paganam religionem, vel potius super-

- g) Hanc derivationem de geniis dedit CENSORINVS *de die natali* Cap. III.
h) Pluribus id edocuit FR. CAR. CONRADI in pererudita pro-
lusione *de diis adhaerentibus* hic an. clō lccc xl. edita.
i) Euoluas GE. D'ARNAVD *Comm. de Diis Παρέδρος* Cap.
XXVII. Secus olim sentiebat HADR. TURNEBVS in *Auers.*
L XXVI., c. 21. et paredros interpretabatur Spiritus malos Ge-
niosque improbos, qui alicui tanquam semper adsident, et fa-
miliares sunt.

perstitutionem, et id insuper docuisse, *genium*, vbi eum anima sortita esset, totum hominem regere ita, vt non modo cogitet ea, quae ipse suggesserit, sed vt etiam ea agat, quae is homini induxerit in mentem. Imo et homo, ipsorum ex doctrina, *genii sui* suggestiones eo euidentius percipit, quo magis purgatam mentem, atque adeo ad ipsius suggestiones accipiendas magis idoneam, habet. Quid? quod eo vsque progrediebantur gentiles, vt et id contenderent, mortales, quum tempus immineret, quo conclamanda vasa et ex hac vita, tanquam e diuersorio, esset emigrandum, derelinqui a suis *geniis* affessoribus, hosque aliis hominibus se sociare k). Nec deerant, qui singulis hominibus duos *genios*, bonum alterum, alterum malum agnasci crederent, qui omnium actionum aequae ac cogitationum testes essent, et mox ad bona, mox ad mala hortarentur homines l).

§. III

Ergo suum cuique *genium* licet tribueret romano-
rum religio vel potius superstitio: alium tamen alio multo excellentiorem esse, existimauerunt. Quum enim principum natales a diis deduceret adulatorum natio, iisdemque diuinos honores tribueret: fieri non poterat non, quin maiorem, et reliquis aliis *geniis* multo potentiorum, *principi* adsignarent *genium*, eidemque, velut Iouis particulae augustiori, diuini quid inesse crederent. Hisce vero *principum geniis*, tanquam felicitatis perpetuae mystagogis, adscribebant omnes ducum et magistratum successus m). Nec omittebant, non modo e-
iusce

k) Vid. AMMIAN. MARCELLINVS L. XXI.

l) Testimonia thesin in paragrapho illustrantia attulerunt I. G. PERTSCHIVS l. c. §. 4., et CAR. FRID. SCHVBERTVS in comm. de ritibus Romanorum celebrandi dies natales. §. V.

m) Euolvas EVERH, OTTONIS diss. de periurio per *genium*

iufce generis *geniis* ftatuas, aras, templa cum infcriptio-
ne, *genio Caefaris*, ponere, fed et eisdem thus dapes-
que die natali offerre n). Quibus ponderatis ipfe indi-
care poteris, quid fibi velit formula in imperatorum, et
iam modestiorum, quod mireris fane, nummis ac infcri-
ptionibus obuia *genio Caefaris*, *genio Augufti*, *genio Impe-
ratoris*. Cognationis veluti vinculo iungebant *genio
principis* fortunam, quae ipfa et *genius* pro eodem numi-
ne erat o), ac faltem eo, quo *genius*, iure colebatur ob
id, quod opes et humanarum rerum regimen obtineret.
Hinc fortuna, aurea vocata, in cubiculis imperatorum
haberi solebat, ac morituro imperatore praefente trans-
ferebatur ad fuccefforem p). Eandem ob caufam impe-
ratores in bellum ituri fortunam, vt fibi propitia effer,
hoftiis et votis deprecabantur. Caefaris fymbolum hinc
erat, virtute duce, comite fortuna q). Etiamfi vero fic
iungantur *genius* et fortuna vno vinculo, et graeci
vtrumque *τύχην* vocent: differunt tamen in eo, quod
fortuna rebus omnibus dominetur, *genius* vero viribus
modo praefit r).

§. IV

Per talem vero *genium principis iurauiffe* olim Ro-
manos, dubitare nos non finit ALEXANDRI ab ALE-
XAN-

principis. C. II. §. II. Locum quintum obtinet in illius differ-
tationibus Fraiechi ad Rhenum an. clo lccc xxiii. editis.

n) Legas L. 233. §. I. D. de V. S.

o) Id demouftrat nummus Agrippinae maioris apud IO. VAIL-
LANT in *numism. Imp. in colon. tom. I. p. 97.*

p) Vid. TH DEMS FER I *Paralip. ad Rosin. Ant. rom. L. II. C. XVI.*

q) Vid. THOMAS. *de donar. cap. XXI.*

r) Aliud adhuc difcrimen, quod inter vtrumque deprehenditur,
indicat EV. OTTO in *cit. diff. §. II.*

XANDRO f), BARNAB. BRISSONII t), PAGAN. GAUDENTII u), VLR. HUBERI v), NICOL. HENELII ab HENNENFELD w), EVERH. OTTONIS x), FRANC. POLETI y), HUMPHR. PRIDEAUX z), ANDR. FLOR. RIVINI a), HERM. VVLTEII b), aliorumque diligentia. In eo quidem omnes consentiunt, oppressa ab imperatoribus republica, demum inualuisse consuetudinem *iurandi per genium principis*. Quum enim improba adulatio plerorumque civium animos occupasset, et ferox iste ac audus imperii populus certatim in obsequia rueret: cumulati sunt fere omnes in vnum honores, quicquid in republica sacrum ac eminent, id omne in principes translatum, omnia diuina ac humana, accedente seruili assentatione, iisdem tributa c). Quid mirum igitur, si principes et his mactati essent diuinis honoribus, vt *per ipsorum genios iurandum* esset. Si scire vero aues temporis periodum, qua primum iuramenta hunc in modum concipi solebant: fatendum omnino est, inter eruditos non

- f) Vid. *Ipsius Genial. Dier.* L. V., C. X., p. 266. edit. francof. de an. clccclxvii.
- t) *De Formul. et solemnib. pop. rom.* L. VIII. fol. 683. ex edit. BRACHII.
- u) *De Iustiniani Seculi moribus* C. VI.
- v) *Euolus illius Eunom. Roman. ad Lib. XII. pandect.* p. 491.
- w) *In Otio Vrati lauiensi* C. II.
- x) Vide *diff. cit* faerius.
- y) *In Histor. Fori Rom.* L. IV., C. XIII.
- z) *In not. ad Marm. Oxon.* p. 43.
- a) *In diff. de oena periur* C. I., § IX.
- b) *Confer. Illius Discept. Scholast.* C. VII.
- c) Pluribus id locuit IOH. DAN. SCHOEPFLINVS in *tract. histor. de Apotheosi*, C. I.

non conuenire in designando isto temporis articulo. Qui natales huius *iuramenti* ad AVGVSTI tempus referunt, docentque, post caedem IVLII CAESARIS a senatu romano demum decretum esse, vt *per genium principis iuraretur*; ii non cogitant, CAESARE occiso, populum furibundum parricidasque requirentem, accusasse senatores, qui eum virum interfici passi fuerint, per cuius *salutem et fortunam iurassent* d). Fallor igitur, aut statuendum erit, viuum adhuc CAESAREM, inter reliquos honores diuinos a senatu ipsi decretos, accepisse τὴν τε τύχην αὐτοῦ ἐμύναει, vt *per ipsius fortunam*, seu vt alii interpretantur, *genium vel salutem iusiurandum conciperetur* e). Nec prius tamen senatum id decreuisse, crediderim, quam ei statuas, vnam puta cum inscriptione Semideus est f), alteram cum elogio Deo Inuictō g) ponendas curauerat aequae ac edixerat, vt is non secus, ac tribuni plebis, sacrosanctus haberetur, isque sacrilegus ac piacularis fieret, quisquis ipsum verbis laesisset h). Qui CAESAREM excipiebant in imperio, eundem fere honorem receperunt. Etenim quod idem honos manserit sub AVGVSTO, id et vel exinde elucere, opinor, non modo quod Rubrio crimini datum, violatum *per iurio nomen AVGVSTI* i), sed quod ipse etiam HORATIVS k) eius rei testis sit, dum canit

Prae-

- d) Vid. DIONIS CASSII *Histor. Rom.*, L. XLIV. fol. 267. edit. Hanou. de ann. cidiocvi.
 e) IDEM *l. c. L. XLIV. f. 243.*
 f) *ib. l. c. L. XLIII. f. 220.*
 g) IDEM *l. c. f. 236.*
 h) IDEM *Lib. XLIV. f. 243.* Adde b. CH. GOTTL. SCHWARZII binas *diff. de Aug. Caesarumque Rom. tribunitia potest.*
 i) TACITVS *Ann. l. I. C. 73*
 k) *L. II, Ep. I, ad Augustum, v. 15.*

*Praesentes tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

TIBERIVS vero, vt se popularem populo praeberet, nec exegit a quoquam, vt per ipsius genium iuraret, nec poenas sumsit, si qui per ipsius genium peieraret l). Idem illud, quod de TIBERIO diximus, et de NEKONE memoriae proditum est m). CAIVS CALIGVLAE vero honestissimos quosque ad metalla et bestias condemnabat stigmatibus prius notatos, quoniam nunquam per genium suum deierassent n). Nec sub GALERIO Imperatore mos iurandi per genium principis in defuetudinem venit. Id exinde videre licet, quod Aristo medicus, sub imperio GALERII, martyris romani linguam exsecans, postquam accusatus esset, quod mercede ductus non omnes linguae nervos abscidisset, in haec eruperit verba o),

*Testor salutem Principis, me simplici
Functum secantis arte, iudex optime,
Servisse iussis absque fraude publicis.*

Idem honor diuinus iuramentum praestandi per genium principis mansit et eo adhuc tempore, in quod aetas TERTVLIANI cecidit. Is enim dicit p), citius apud vos per omnes deos, quam per vnum genium Caesaris peieratur.

§. V

Formula vero per genium principis iurare non vnum, sed tam bonum, quam malignum etiam animi sensum
B 2 recon-

l) DIO CASSIVS L. LVII.

m) TACITVS L. XIII., C. X.

n) SVETONIVS in eius vita C. XXVII.

o) EUOL. PRVDENTIVS Peri-Stephan. hymn. X. v. 995.

p) In Apolog. C. XXVIII.

recondere videtur. Huc referrem, quod adultores aut *genium* interpretabantur principem, ut adeo, quum *iuramentum per genium principis praestari* dicatur, sensus sit, iurari per ipsum principem, quem suo iuramento colere, et non secus ac ipsum Deum venerari vellent; aut iidem maluerunt per *genium* intelligi deum, qui principi tanquam custos indiuiduus adhaereret, ut proinde sensus formulae, *iurare per genium principis*, eo redeat, ut ea indicent, se iuramentum per illos deos tutelares praestare, qui principi statim ab ipsius natiuitate adscripti essent. Sciscitatur forsitan lector beneuolus, an Romani adductos significatus coniunxerint cum formula, de qua sermo? Rem omnino ita se habere, nullum est dubium. Etenim quod priorem significatum cum dicta formula coniunxerint, et vel exinde elucere, opinor, quod non leges modo supersint, in quibus, iuramentum conceptum per Deum opponi, videmus q), *iuramento per genium principis* concepto, sed quod etiam historia rei augustae nos dubitare non sinat, romanos non raro hanc infanuisse insaniam, ut a siderum coelestium cultu ad speciem formamque humanam delapsi vel conditores suos, vel alios rerum illustrium auctores, animi corporisue dotibus, aut magnis facinoribus claros numero deorum accensuerint, ac suis inprimis principibus exhibuerint diuinos honores r). Verum et alterum quoque significatum, cuius memini, romanos cum dicta formula iunxisse, et vel exinde potest deduci, quod, prouti iam monui, antiquitas cuique homini nato duos deos, principi vero *genium*, caeteris aliis potentiozem, agnasci fingeret, ac quod insuper homines Christi doctrinae addictos illicet abstinuuisse, sciamus, a *iuramento per caesaris genium* praestant-

q) Vid. L. 2. C. de reb. cred.

r) Pluribus id edocuit SCHOEFFLINVS in *cit. tract.*

stando, simul ac didicerant, nec per deos fictitios, nec per creaturam iurare, cuius licitum esse. Siue vero primum, siue alterum significatum cogites; adfirmabis dubio procul, male rem se habere, saltem leuitatis indicium fuisse ac irreuerentiae erga Numen Supremum, si qui tale iusiurandum praestiterit. At secus dicendum esse, opinor, si dicta formula voluerunt aut indicare, se a principe, quem praeter caeteras res creatas colerent ac venerarentur, ultionem expetere, si peierassent, aut significare, se nominato *genio siue salute principis* nominare etiam et intelligere salutis illius auctorem, qui solus Deus esset. Ea si mens erat iurantis, nil is committebatur, quod pium non fuisset iustumque.

§. VI

Iuramentum per genium principis in actibus publicis, in primis vero in pactis, transactionibus, aliisque negotiis priuatis, quae de dando fiunt, interponi solitum fuisse, haud paucae arguunt leges, quas nostra manu verifamus. Ita enim VLFIANVS, *si quis*, inquit s), *iurauerit in re pecuniaria per genium principis, dare se non oportere, et peierauerit: vel dari sibi oportere, vel intra tempus iurauerit se soluturum, nec soluit: Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere: et ita superdici προπετῶς μὴ ἔμνε, id est, temere ne iurato.* Similia profert auctor eclogae βασιλικῶν, dum in haec erumpit verba t), *ὁ ἐπὶ χεῖρασι κατὰ τοῦ βασιλέως ὁμόσας, καὶ ἐπιερκήσας, ἐοπαλίεσται, qui per principem in re pecuniaria iurauerit, et peierauerit, fustibus castigatur.* Eadem iisdem verbis attulit CONSTANTINVS HARME-

B 3

N O P V-

s) L. 13. §. 6. Dig. de iureiurando.

t) A IO. LEVNCLAVIO editus, Lib. LX., tit. de perir., p. 518.

ΝΟΡΥΛΥΣ u), qui ante sexcentos ferme annos Thessalo-
 niae iudex floruit. Haud frustra VLPIANVM ac caeteros
 adductos auctores adiecisse, opinor, voces ἐπι Χρήματι,
 siue in re pecuniaria. Recte enim viderunt GVIL. BAR-
 CLAVS v) et ERHARD. REVSCHIVS w), dictas voculas
 et vel ea propter esse adiectas, quoniam is tantum poe-
 na fustigationis adficiendus esset, qui, concepto *per ge-
 nium principis iuramento*, peierasset in causis pecunia-
 riis. Ex quo intelligimus, si non adsit causa pecuniaria,
 sed aliqua forte grauior, in qua peieratum est, maio-
 rem poenam pro qualitate delicti infligendam esse. Vo-
 cula vero, quam in adducta lege deprehendimus, προπε-
 τῶς, hoc est, praecipitanter et inconsiderate me mouet,
 qui credam, poenam periurii exulare, si qui in re pecu-
 niaria non mala mente, sed quodam animi calore peiera-
 uerit x). Patientia lectoris beneuoli me non abuti, opi-
 nor, si his et alia iungam exempla, quae doceant, *iusiuran-
 dum per genium principis* interpositum fuisse in pactis, aliis-
 ue negotiis, quae de dando fiebant. Ita fideicommissis vin-
 culum iuris accedit, quod *per genium* aut *salutem Augusti*
 rogatus quis diceretur y). *Per salutem* enim *principis* ro-
 gare, fuisse, nos docet PAPINIANVS z), veluti cum iu-
 risiurandi religione rogare. Sic etiam ARCADIVS Impe-
 rator

u) In *Prompt. iur.* L. I. T. VII. Locum huc spectantem attulit
 HUMPHRIDVS PRIDEAVX l. c. p. 41.

v) In notis ad nostram legem. Insertas inuenies EV. OTTONIS
thes. iur. ciu. T. III.

w) In *cit. prolus. acad.* p. 6.

x) Vide IAC. CUIACII *Observat. et Emendat.* L. VIII., C. VII.
 p. 231. edit. celeb. VHLII.

y) §. I. *Inst. de Fideicommiss. hereditat.*

z) In L. 77. §. 23. D. *de legat. 2.* Iungas IAC. CUIACII *obs.* L. XVII,
 C. XXV, p. 591. ac EDM. MERILLII *Comm. ad Inst.* p. 243.

rator suo aevo duas iurisiurandi species memorat a), quibus pactiones confirmarentur; primam, si quis sua promissa, inuocato nomine Dei omnipotentis, solidauerit; alteram, si quis nomen caesaris pactis inseruerit, et *salutem principis* initarum pactionum iurauerit esse confirmationem. Ni temerarium me dicas, hisce ad probandam meam sententiam iungo testimonium SVETONII b), qui scribit, *apud eandem* (scilicet columnam Caesari a plebe positam) *longo tempore sacrificare, vota suscipere, controuersias quosdam interposito per Caesarem iureiurando distrabere* (plebs) *perseuerauit*. Loqui SVETONIUM, et sentire de transactionibus, quas in Ictorum scholis vestitas nominare solent, fit verisimile, quando, controuersias non omnes, sed tantum quasdam ita diremtas, dicit, eas puta, ubi alter de suo iure remittit paullulum, alter se daturum aliquid; aut facturum, promittit.

§. VII

Antiquitus Romae nullae de periurio leges, nulla periuris poena irrogata, quicquid etiam dicant DOMINIC. ARVMAEVS c), FRANCISC. DVARENVS d), CYPR. REGNER. ad OOSTERGA e), HERM. VVLTEIUS f), aliique. Illi enim, qui perierabant per deos, deorum

edit. de an. MDCCXXXIX, et CONSTANT. LANDII Exercitat. *in ius ciuile*, in EVERHARD. OTTONIS *thes. iur. rom.* T. III., p. 1414

a) l. 41. C. de transact.

b) In *vita Iulii* c. 85.

c) In *disp. ad pand.* XI, qu. 7. p. m. 161.

d) Tam in Com. in tit. D. de iurciur. C. XXXIII., quam in *disp. ann.* I. II., *Disp.* 37.

e) In *disp. ad pand.* XXI., §. VI. p. 97.

rum quoque relinquebantur vindictae g). Factum hoc esse, opinor, non contemptu religionis, verum quod non modo grauissima, ut canit IUVENALIS h), poena sit,

Nocte dieque suum gestare in pectore testem,

sed quod etiam tanta apud romanos iurisiurandi per Deum esset reuerentia, ut inter modos obligationis contrahendae non referretur, ne nimia frequentia vilesceret invocatio Numinis diuini i). Quin et ICIORUM aetate *per iurium nisi per genium principis* non puniebantur. Poenam vero quod attinet *per iurii per genium principis*, non aliam deprehendimus, nisi eam, quam statuit lex, cuius summam praecipuam in §pho anteriori dedimus. Ista scilicet lege SEVERVS ET ANTONINVS Imperatores rescriptisse, vidimus, ut *per genium principis peierantes* fustibus castigati dimitterentur. Militaris haec poena videri posset, dum is, qui agmen excedebat, aut mutaerat militiam, teste MODESTINO i) adficiebantur poena fustium, quae ipsa tamen poena differebat ab alio fustigationis genere, quod vite fiebat. At enim vero longe diuersa fuit ista militaris fustigatio a fustium ictibus, dudum tam inter poenas ciuiles receptis k). Fustium vero ictus in dicto SEVERI ET ANTONINI Imperatorum rescripto ea propter tantum memorari, videntur, ut ad

com-

f) In *Comm ad Inst. tit. de act.* p. 691.

g) Pluribus id docuerunt IAC. LECTIVS in *Comm. ad L. ult. D. de stellion.*, in EV. OTTONIS *thes. I. C. T. I.*, p. 193, IAC. CUIACIVS l. c. l. II. Obs. 19., OSWALD. HILIGERVS in *Don. Enucl. P. II. Cap. XVII. not. k.*, AND. FL. RIVINVS in *diff. cit. C. I. §. VIII.*

h) *Sat. 13, v. 193.*

i) *Conf. VLR. HUBERI praelect. ad pand. tit. de iurei. §. V.*

k) In *L. 3. §. 15. D. de re milit.*

comparationem flagellationis eo melius notetur leuitas poenae, quam is subire deberet, qui *per genium principis* peierasset. Scimus enim, fustes illatos esse vestitis, nudis vero flagella m). Quid quod flagellationis supplicium vilissimis et abiectissimis mancipiis irrogari solebat, quum e contra fustibus caederentur liberti, vt et liberi homines tenuioris tamen conditionis n). Dum vero fustibus caederetur is, qui *per genium principis peierasset*; SEVERVS ET ANTONINVS Imperatores iubent, vt ita ei *superdicatur*, προπετῶς μὴ ὀμνῶε *petulanter vel temere ne iurato*. Ex veterum monumentis edocti scimus, hunc morem apud veteres fuisse, vt, quum de damnato homine supplicium sumerent, in loco supplicii conspicuo ἐπιγραφήν, seu, vt vt vocant, titulum adfigerent, quo breuiter admonitus populus poenae a reis expetitae causam intelligeret, eo-que exemplo a simili facinore perpetrando caeteri auocarentur. Ex hoc more imposita fuit inscriptio cruci Seruatoris IESV CHRISTI, quam nomine iuris romani IOANNES appellat o) τίτλον. Sed et sine scriptura hoc factum legimus. Praeconi namque erat elogium siue causam poenae dicere his, qui fustibus vergisue caedebantur, inter caedendum, quod est *superindicare* p). Quae quum ita sint; facile intelligere poteris, ob quam causam et ei, qui

l) Id apparet ex LIPSII *dial. V. de re milit. Cap. XVIII.*

m) Conf. DION. GOTHOFFEDI *not. ad L. 7. D. de poen. et CHR. WILDVOGELII diff. de Ictu fust. Cap. I. th. VII.*

n) Id docuit BARN. BRISSONIVS *Libr. III. Antiq. Cap. IX.*

o) *Cap. XIX. v. 19.*

p) Pluribus exemplis id illustrarunt MARQ. FREHERVS *Veris. L. II. Cap. XX.*, in *Ev. Ottonis thes. iur. ciu. T. I. p. 954.*, RAD. FORNERIVS *Rev. quotid. L. I. C. XIII.*, in *cit. Th. Tom. II., p. 140.* IAC. CUIACIVS *l. c. I. VII., C. VII.*, FR. DVARENVS in *Comm. in tit. de in lit. iur. n. 54.*

qui per genium principis peierasset, inter caedendum superindicebatur, *πεσπετῶς μὴ ὀμνῶν*. Videlicet hoc elogio a praecone pronunciato ad omnium notitiam peruenit, cum ob temerarium petulansque iusiurandum plecti. Graeca autem lingua praeconem in superdicto, quod pronuntiabat, usum fuisse, haud miror, quum tunc temporis Romae iucunda et maxime usitata fuerit Graecorum lingua q).

§. VIII

Non pauci, qui Romae nomen CHRISTO vt Deo dederant, perpeti maluerunt grauissima quaeuis, quam *iurare per genium principis*. Viderant enim, quod non modo gentiles, qui id genus iurandi deferrent, id modo agerent, vt sic Christiani Caesarem agnoscerent et praedicarent Deum, sed quod etiam, si composita *per genium principis* formula iuraret aliquis, haberetur ab eo, cui iuratum, eiusdem profanae religionis particeps, et tantum detraheret Vero Numini, quantum diuinitatis *genio principis* tribueret. Obtulerunt se ergo, si e re erat, vt *iurarent per salutem et per venerationem principis*, quo hoc quasi temperamento et inimicis et suae religioni satisfacerent. Testatur hoc TERTULLIANVS r), sed et, inquit, *iuramus, sicut non per genios Caesarum, ita per salutem eorum, quae est augustior omnibus geniis*. Quin et adfirmare audeo, pluris habitum esse *iusiurandum per caput aut salutem principis*, quam per Dei nomen praestitum. Ne id temere adduxisse videar, rem quodam exemplo illustrasse, e re erit. Meminit ZOSIMVS s) iuran-

q) Vid. OTTONIS *diff. cit. C. II. §. VI.*, et RIVINI *diff. cit. C. I. §. VIII.*

r) *Apolog. C. XXXII.*

s) *L. V. C. XLIX. et LI.*

iurandi solennis concepti et praestiti in aula HONORII, principis christiani, simulque narrat, Iouium praeiuisse iusiurandum, de pace cum ALARICHO non facienda, ὅμνυ δὲ καὶ αὐτὸς ὄρκον τῆς βασιλείας ἀψάμενος κεφαλῆς, καὶ τὸς ἄλλους, οἱ τὰς ἀρχὰς εἶχον, ταυτὸν ποιῆσαι παρασκευάσας, *iurabat ipse taeto Caesaris capite, idemque a reliquis praestanti magistratibus curauit.* De quo dein mutando quum ageretur, ab ALARICHO responsum est iisdem. Ἐι μὲν πρὸς τὸν Θεὸν τετυχήκει δεδομένος ὄρκος, ἦν ἂν ὡς εἰκὸς παριδεῖν, ἐνδιδόντας τῇ τοῦ Θεοῦ Φιλανθρωπία τὴν ἐπὶ τῇ ἀσεβείᾳ συγγνώμην. Ἐπεὶ δὲ κατὰ τῆς τῆ βασιλείας ὁμωμόκεσαν κεφαλῆς, οὐκ εἶναι Θεμιτὸν αὐτοῖς εἰς τὸν τοσῶτον ὄρκον ἑξαμαρτεῖν, i. e. *siquidem per Deum usu venisset, ut iurassemus, illud te an negligere licuisset, confisos dei clementia veniam impietatis impetraturum iri. Sed quoniam per imperatoris caput iuratum est, a tanti iuramenti religione recedere nullo modo fas est.* Hic ipse vero mos, vt Christiani per salutem principis iurarent, permansit vsque ad tempora CAROLI M. Is enim Imperator, quum CHRISTI sacra amplecteretur siue rationibus politicis t), siue veritate religionis u) ductus, vti omnem prohibebat superstitionem w); ita ritum illum *iurandi per salutem principis* ab ethnicis acceptum, et plus aequo a Christianis vsurpatum sustulit x).

§. IX

C 2

- t) Id existimarunt GOTTFR. ARNOLDIUS in *Histor. Haeres. L. IV., c. 2.* CHR. THOMASIVS *Obs. Hal. T. I., obs. 24. p. 389.* BURC. GOTTH. STRUVIUS in *diss. de Constantino M. ex rationibus politicis Christiano.*
- u) Instar omnium hic legi possunt, quae aui mei frater b. IOH. FRICKIUS in *diss. de fide Constantini Magni* haud dubio christiana protulit.
- w) L. 2. *Cod. Theod. de pagan.*
- x) EUOL. IPSIVS *leges*, in PET. GEORGISCH *Corp. Iur. Germ.*

At scire forsitan aues, annon, quod Christiani *per salutem, aut venerationem principis*, praestare non erubuerunt, *iuramentum* tanquam crassum nimis excessum reuerentiae erga imperatores ethnicos redolens improbari debeat? Ita olim videbatur SAM. PVFENDORFFIO y); et eo maiori quidem iure, quo certius esse, inter omnes constaret, iuramentum esse speciem cultus diuini, qui non dandus creaturae, sed soli supremo veritatis vindici, DEO. At si, quod sentio, ingenue dicendum, haec me non mouent, qui damnem Christianos, quod, dum non *per genium*, sed tantum *per salutem, aut venerationem principis* iurarunt, hoc temperamento et inimicis suis et suae religioni satisfecerint. Excusari enim, meo quidem iudicio, poterunt, si modo cum HERM. VVLTEIO z) distinguas inter verum et proprium, ac inter quasi vel improprium iuramentum. Illud voco, quod in contestationem Dei directum est; hoc, quod ad rem quamcunque iuranti certa quadam e causa religiosam refertur, id quod duplici autem modo accidere poterit. Aut enim ita id fit, vt ad creaturam quasi numine quodam imbutam pro dubia fide testato confirmanda instituatür prouocatio, aut res quaequam iuranti carissima, sine tamen numinis intuitu, habita pro datae fidei securitate tanquam pignus deponitur. Prioris generis mos inoleuit tempore IUSTINIANI et THEODORAE. Tametsi enim veritatis caelestis lumine essent collustrati: attamen, vt per gloriosam DEI generi-

p. 1164. Iungas praeter *Capit. Regum Francorum in cit. corp.*
I., Germ. p. 667., *leges Longobardorum* L. III, tit. 24.

y) *De iure Nat. et Gent.* L. IV., C. II., §. 3. p. m. 460.

z) l. c. in *diff. scholast.* p. 81.

tricem, MARIAM, perque sanctos Archangelos, MICHALEM et GABRIELEM iuraretur, praescripserunt a) voveruntque tali sacramento devincire sibi, quos rerum suarum administratores constituebant. Posterioris generis exempla nobis suppeditant tum scriptores profani; veluti quando quosdam per suam et liberorum salutem, per oculos, caput, sceptrum, mitram, thronum iurasse legimus; tum et sacra scriptura. Ita iuravit IOSEPHVS per vitam PHARAONIS b); ita iuravit HANNA per salutem ELI sacerdotis c); ABNERVS per vitam Regis SAUL d), ABIGAIL e) atque VRIA f) per vitam DAVIDIS Regis, atque alii per vitam prophetae g); ita etiam et ipse PAVLVVS iuravit per suam animam h). Sicuti vero hae, quorum meminimus, iuramenta non, prout prioris generis omnia, reprobari poterunt: ita et idem adfirmari debere, opinor, de iuramento Christianorum, quod eos *per salutem principis* praestitisse asseruimus. Si me tandem in re seria ludere non dicas: idem illud valere, putauerim, de illa inter Germanos, maxime genere ac virtute nobiles, per interpositam fidei nobilis obtestationem recepta iurandi formula.

C 3

§. X

- a) *Nou. VIII., tit. III.*
- b) *Genes. Cap. XLII, v. 15. sq.*
- c) *1. Sam. I. v. 26.*
- d) *Ib. Cap. XVII., v. 55.*
- e) *Ib. Cap. XXV., v. 26.*
- f) *II. SAM. Cap. XI. v. 11.*
- g) *Euolvas II. Reg. IV. v. 30.*
- h) *II. ad Corinth. I. v. 23.*

Sed haec sufficient. Superest, vt vos, o mei, amice moneam, quam periculi plena sitis, temere et inconsiderate iurare, et imprecationes aut sibimet ipsi, aut aliis dicere. Qui tali vitio se contaminant, cum iis purissimi Spiritus esse non cupiunt. Talibus non modo suum angeli subtrahunt praesidium, sed etiam vindictam a DEO poscunt. Gaudent autem, et eorum indiuidui comites esse cupiunt, qui castitatem, sobrietatem, innocentiam ac omnium virtutum studium amplectuntur, ac Diuinum Numen venerantes nihil quicquam vel offerre, vel opere patrare sustinent, quod tanto conspectu esset indignum. Qui talem vitam viuit, et perpetuo esse pergit, huius animam DEVS ipse inhabitat, quam proinde templum DEI effectam sancti angeli non tutari tantum, sed et honorare festinant. Agite ergo, o optimi, omni vestra opera, vt sanctis moribus et illibata vita hos coelitus nobis concessos pedisequos et custodes quisque vestrum sibi conciliet ac retineat. Infigamus altissime animis nostris illa ΕΡΙCΤΕΤΙ ab ARRIANO i) nobis tradita, ἐπιτροπον ἐκάσῳ παρέσῃσε ὁ Θεός, τὸν ἐκάσῳ δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῶ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον· ὡς δ' ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνηθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐσὲ, ἕδε ἐσὲ· ἀλλ' ὁ Θεὸς ἔνδον ἐστὶ, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστὶ. καὶ τίς τούτοις χρεία φωτὸς, εἰς τὰ βλέπειν τί ποιῆτε, i. e. suum cuique curatorem GENIVM apposuit DEVS, qui custos esset vigilantissimus, et quem latere nil possit, aut fallere. Quum igitur fores aduxeritis, et tenebras intus feceritis, mementote nunquam dice-

i) L. I., Cap. XIV.

*dicere QVOD SOLI SITIS. Non enim estis, non; sed
DEVS intus est, et vester GENIVS intus est. Et quid lu-
mine istis opus est, vt facta vestra videant?*

P. P. in Acad. Iulia Carolina a. d. III. Calend. Octobr.
A. S. R. MDCCCLXVIII.



